

que ab his abesse videtur V. C. ALEXANDER ARNOLDVS PAGENSTECHE-  
 CHER <sup>c)</sup>, qui sequestrum necessarium vult quasi contractum esse.  
 Sed his omnibus obiici posse videtur, nimis generaliter et vniuer-  
 saliter eos negasse, quod erat tantum ex aliqua parte negandum.  
 Nam non necessarium quidem est, vt sequestratio necessaria fiat  
 per contractum, sed fieri id tamen potest, nec repugnat, vt et  
 haec contractu perficiatur. Et ita rem explicat ANTONIVS SCHVL-  
 TING <sup>d)</sup>, qui plane eodem modo distinguit, vti nos fecimus. Sed  
 mirum in modum haec res anxisse videtur ANDREAM CLVDIVM <sup>e)</sup>,  
 qui quam bene fecerit, quum ad consensum tacitum <sup>f)</sup> et ad coa-  
 ctam voluntatem, quae etiam est voluntas, confugerit, vt de-  
 monstraret, necessariam quoque sequestrationem spectare ad genus  
 contractuum, facile quisque iudicabit.

§. XI.

NON OMNEM CONTRACTVM, QVO SEQUESTRATIO  
 PERFICITVR, ESSE DEPOSITVM.

QVARE quum satis certum sit, non omnem sequestrationem  
 contractu iniri, ex eo ipso cogitur, minus recte facere doctores,  
 qui contractui depositi, quasi generi, subiiciant omnem sequestra-  
 tionis

c) in *aphorismis iuris ad Instit. Inst.*  
*Lib. 3. Tit. 15. apher. 80.*

d) *Thef. controu. Decad. 58. Thef. 8.*

e) vbi saepius diximus *Cap. 1. n. 26.*

f) Tacitum consensum hic, credo, ne-  
 mo inueniet, sed forte CLVDIVS ta-  
 citum dixit pro *ficto*, quae genera

saepissime confunduntur a doctori-  
 bus. De ipso hoc ficto consensu au-  
 tem, mirabili doctorum figmento,  
 hoc loco differere nec lubet, nec li-  
 cet, quum maiorem disputationem  
 haec res requirat, quam, si dabitur,  
 differemus in aliud tempus.